



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 42. Mediæus Cardinalis in Papam electus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A. C. 1559.
decreverant; tanta enim erat hujus Purpurati existimatio, ut aliquamdiu de ipso solo in Papam eligendo ageretur, quinimo die decima octava Decembris illius electio tam certa credebatur, ut pro antiquo abusu jamjam in ejusmodi eventibus in consuetudinem abeunte Cardinalium famuli cubile Pacceci deprædari, ac evertere molirentur. Præterea, cum in prima suffragiorum collectione plures eidem faverent, assumpta, quam *accessum* vocant, electionis norma Carpiensis Cardinalis aperte eidem suum detulit suffragium, ceterosque, ut ejus exemplum imitarentur, hortatus est, unde Paccecus solus viginti septem suffragatores habebat: cum vero hic numerus nondum sufficeret, sacrum Collegium mox mutata rerum facie nec Hispanum, nec Gallum in Papam eligere statuit.

§. XLII.

Medicæus Cardinalis in Papam electus.

Pallav. n. 8.
Thu. Spond.
hoc ann.
num. 37.
Ciaccon. t. 3.
p. 867.
Raynald.
ad hunc
ann. n. 38.
Ergo Purpurati in Cardinalem Mantuanum, qui jam antea a Ferrariensi Cardinale proponebatur, propendere incipiunt; verum hujus electioni Farnesius, & Caraffa sese vehementer opposcentes, eundem penitus excludunt: unde crebræ oriebantur contentiones, quibus

quibus interea ferventibus Mantuanus in suo cubili tranquillus substitit, suosque amicos, ut a cœpto consilio desisterent, rogavit: minime enim tolerare voluit, quod sui causa diutius adhuc comitia sacra non sine magno Ecclesiæ præjudicio ob hæc inducias imminenti protraherentur. Postea Cardinalium vota duntaxat ad alios duos Purpuratos conspirare videbantur, quorum primus erat Cæsius, quem Paulus III. purpura decoraverat, Gallis que erat quidem acceptus, Hispanis tamen exosus. Alter erat Joannes Angelus Medicæus Cardinalis sexaginta annos natus: attamen ex alia Medicæorum stirpe, quam Florentina ortus erat; nam se Mediquinum, seu Medicinum nominabat, fratremque habebat Marinianum Marchionem, cujus frequens supra mentio occurrebat: Hic idem illa nocte, quæ Redemptoris Nativitatem insequitur, ante diem vigesimam sextam Decembris eligebatur, eidemque ex quadraginta quatuor Cardinalibus præcipue suffragabantur ambo Caraffæ Carolus, & Alphonsus fratres, Alexander Farnesius, Guido Ascanius, Sfortia, Sanflorianus, Thesaurarius, Ludovicus Guisus, horumque fautores.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.